

459.

1259 d. 24 Febr.

Anagni.

Påfv. ALEXANDER IV:s Bref till Biskopen och Dom-Capitlet i Åbo på 40 dagars aflat för dem, som besökte S:t Marie kyrka dersammastädes.

B. 5. 65.

*Super jndulgencis XL dierum jn festis beate virginis.*

ALEXANDER Episcopus seruus seruorum dej Venerabilj fratri Episcopo & Dilectis filiis Capitulo aboensi Salutem & apostolicam benedictionem Gloriosus Deus in sanctis suis in ipsorum glorificatione congaudens in veneracione beate marie semper virginis eo jocundius Delectatur quo ipsa vtpote mater eius effecta meruit alicuius sanctis ceteris in celestibus collocare Cupientes igitur vt ecclesia vestra que in honore ipsius virginis sicut asseritis est constructa congruis honoribus frequentetur omnibus vere penitentibus & confessis qui dictam ecclesiam in festiuitatibus eiusdem virginis annuatim venerabiliter visitauerint de omnipotentis Dei misericordia & beatorum Petri & Paulj apostolorum eius auctoritate confisi quadraginta dies de iniunctis sibi penitentiis misericorditer relaxamus Datum Anagnie VI Kal. Marcij Pontificatus Nostri Anno Quinto.

460.

1259 d. 1 Mars.

Anagnia.

Påfv. ALEXANDER IV:s Bref till Konungen i Sverige om biträde till Upsala Domkyrkas flyttning.

A. 1. a. 33.

ALEXANDER episcopus seruus seruorum dej. Carissimo in christo filio . . Illustri Regi Suesie. Salutem & apostolicam benedictionem. Cum sicut ex parte venerabilis fratris nostri . . Archiepiscopi & dilectorum filiorum Capituli Vpsalensis fuit propositum coram nobis ipsi de licentia sedis apostolice Vpsalensem ecclesiam de loco in quo sita est utpote inepto ad aptiorem locum transferre, ac a solo edificare intendant opere sumptuoso & ad id eis proprie non suppetant facultates, Nos ad ea te libenter hortantes que anime tue salutem respiciunt, celsitudinem tuam rogamus, & hortamur attente, quatinus pro tue & progenitorum tuorum animarum remedio, nec non & pro nostra & apostolice sedis reuerentia tam per te quam per tuos subditos ad edificationem ipsius ecclesie impendas efficaciter tuum auxilium, consilium & fauorem, ita quod tuis & aliorum fidelium christi auxilijs mediantibus dicta ecclesia reedificari ualeat, & et exinde a Deo premium, & laudem ab hominibus consequi merearis. Datum Anagnie Kalend. Martij. Pontificatus nostrj Anno Quinto.

Blybullan bortfallen.